



[Faint, illegible text on a large sheet of paper, possibly bleed-through from the reverse side.]

1.
1.
2.
16
1.
16
1.
16
1.
2.
16
1.
16
1.
16
1.



1599.

1. Herold, Laurentius: De iudiciis.

2. (Leibknecht, Augustus): De restitutione minorum

XV annis.

1602.

1. Paderstadter, Henricus: De mora.

1609.

1. Heberus, Joh. Jacobus: De servitutibus.

1611.

1. Brandenstein, Wolffrich von: De jure et facto.

2. Rittershusius, Casparus: De jure publico.

1613

1. Sommer, Martinus: De jure singulari studiosorum.

1615

1. Dimerus, Andreas: Disputatio ad C. iniquam uel

1620.

1. Lorenz, Johannes Jacobus Draco: De sumptibus studiosorum (causa
vrogatis, ad causas omnes pertinent?)

1621.

1. Ludewig, Wilhelmus: De jure accrescendi.

1622

1. Dimerus, Anders: De majestate

1625

1. Romus, Georgius: Putidum esse, collum coleare

Imp. Frederici I Akenobarbae, Caesaris, Alexander

III pontificem Romanum, ostenditur. An. 1728

1627.

1. Fritysch, Johann: De jurisdictione.

1629.

1. Franckburgus, Joh. Gerhardus: Conclusiones aliquot de debitoribus

in . . . defensionis privatae materia

2. Lamberus, Benjaminus: De pecuniariorum nominum

et variis nummulariorum debitorum solutionibus.

3. Kutzepaus, Erasmus: De materia monetarum

1650.

1. Agricola, Regidius: De conditione in debiti.

1630

2. Kimerus, Andreas: De donatione inter vivos et uxorem.

3. Peretschew, Michaelis: De renuntiacionibus.

4. Schiller, Johannes: De rerum alienatione ex jure civili, Canonica, feudali et Saxonica.

1631.

1. Gromm, Georgius: De tempore civili.

2. Ludw. Wilhelm: De quinquaginta Justinianis decisionibus.

3. Schiller, Jacobus: De pacto reuenditionis.

1632

1. Ludw. Wilhelm: De tutela et cura.


1633.

1. Brinckmann, Jacobus: De notariis et eorum officio

2. Inopl. 1703: 1715.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]





32 ³DISPUTATIO ²²

DE

MORA.

QVAM

D. A. Q. D.

PRÆSIDE

SCIPIONE GENTILI

JVRISCONSVLTO,

IN INCLVTA NORICORVM ACADE-
mia publicè defendere conabor

HENRICVS DVDERSTA-

DIVS ALSLEB. SAXO,

Mense Martio,

ANNI

—
CLO IO CII.



NORIMBERGÆ,

TRYPIS PAVLI KAUFMANNI.

QVA GENERIS

SPLENDORE, QVA VIR-

tute, quâ literis nobilissimo & præ-
stanti juveni,

CONRADO

A SCHWEICHOLO, HEN-

RICI F. EQVITI BRVNSVIGIO &c.

in Goslahr, Peine & Barchm hereditario &c.

Domino ac fautori suo multum,

colendo,

*Hanc de MORA disputationem, in signum
perpetuae observantiae & animi dediti,
dedicat ac consecrat*

Henricus Duderstadt
Respondens.

DISPUTATIO

De

MORA.

QUOD nobilissimus Ulpianus in l. i. D. de integr. restit. affirmat, utilitatem ejus tituli non egere commendatione, sed non immeritò hic juris articulus sibi vendicat: quippe & ipse satis se ostendit. Nos Pauli exemplo, quæ utilia inque scholis ac foro cotidiana sunt, plenius attingemus.

THESIS I.

MORÆ vocabulum non uno usurpatum modo tam in aliis quàm in nostris autoribus reperitur: cum latius quandoque pro quavis tarditate, cessatione ac cunctatione accipiatur.

l. etiam de presenti 15. D. ut in possess. & c. l. si pupillus 127. de V. Oblig.

I I.

Sæpius autem & propriè, mora tantum intelligitur fieri, ubi actio est & petitio: ut nec is, qui naturaliter tantum debet vel exceptione tutus est, morã dicatur committere.

l. nulla 88. de R. I. l. lecta 40. prope finem D. de reb. credit.

I I I.

Distinctam ita moram finimus dilationem debiti solvendi vel accipiendi sine justâ causâ admissam.

l. sciendum 21. D. de usur. l. si soluturus 39. l. qui decem. 72. de solut.

A 2

Errare

IV.

Errare nempe arbitantes eos, qui territi falso metu à l. mora de usur. & aliis, sibi injecto prorsus eam definiri posse negant.

V.

Committit ergo moram non minus quàm debitor, ipse etiam creditor, si pecuniam à debitore oportuno tempore & loco oblatam non recipiat.

l. hominem 37. D. mand. d. l. qui decem 72. de solut.

VI.

Cum enim debitoris intersit multum, ab usuris pecuniæ & rei ipsius periculo vel custodia liberari, creditoris sanè frustratio neque illi obesse neque ipsi debet prodesse.

argumento l. non debet 41. l. in condemnatione 137. D. de R. I.

VII.

Quia vero sæpe & solutio & exactio partium non minima incommoda habet: & res deterior reddita, ne reddita quidem videtur; ut in mora sit creditor, debitor utrumque debet, & totam rem offerre & incorruptam.

l. planè 3. D. fam. ercis. l. etiam 27. de solut. l. 3. §. 1. commod.

VIII.

Et siquidem res debeatur immobilis, satis est si paratum se dicat: si mobilis vel pecunia numerata, coràm eam nec in folle inclusam exhibere tenetur.

N. 91. §. 2. l. cum servus 82. D. de condit. & demonstr.

IX.

Rem ita & insuper cum accessionibus suis oblatam si recuset accipere creditor; in mora eum constitui vel sine consignatione & depositione, verius putamus.

l. Tutor 41. §. 1. D. de usur. d. l. qui hominem, mand. l. qui Roma. §. 5. de Verb. Oblig.

X.

Sed quæritur: si offerat debitor ante diem conventum, id quod debet, creditorque oblatum non accipiat; an ob id mora

mora

mora contrahatur? nisi creditor evidens damnum ex præ-
matura solutione sentiat, contrahi censemus.

l. stipulatio ista 38. §. inter incertam 16. D. de V. O. l. creditor 102. de solut.

X I.

Commisâ autem morâ adeo creditor omne rei debitæ
periculû in se derivat, ut & quantitas, quæ alioqui non peri-
re dicitur; ipsi tamen quandoq; pereat & debitor liberetur.

l. si soluturus 39. l. qui decem 72. D. de solut. l. incendium 11. C. si cert. pet.

X I I.

Idem tamen hanc moram purgat, si postquam rem acci-
pere recusat, eam denuo à debitore petat: cui, si rem præ-
stare detrectet, sine dubio posterior sua frustratio nocebit.

l. debitor 7. D. de usur. l. illud sciendum 17. de peric. & comm. rei vend.

X I I I.

Verum hinc raro: Frequentius à debitore mora com-
mittitur, idque vel ex persona vel ex re: illam vulgus regu-
larem, hanc irregularem vocat: sed vulgus.

l. mora 32. l. sed etsi 23. §. 1. D. de usur. l. 3. §. 2. de adim. leg.

X I V.

Nos Jurisconsultorum vestigia secuti, moram ex persona
fieri dicimus per interpellationem expressam vel tacitam.

d. l. mora 32. D. de usur. l. magnam 12. C. de contrab. stipul.

X V.

Nam, ut inquit Paulus, cum postulanti non datur, mora
fieri videtur: sive creditor interpellet ipse, sive ejus nomine
alius cui tuto solvi possit, nihil interest.

lib. 3. sentent. c. fin. l. si quis solutioni 24. §. mora. l. cum quidam 17.

X V I.

(§. 3. de usur.

Debet autem expressa hæc interpellatio tempore fieri &
loco oportuno: debitor enim in diem, si ante eum conve-
niatur: vel heres ex fideicōmissio, ubi major pars hereditatis
nō est, etiam si nō solvant; in mora tamen esse nō dicuntur.

d. l. si soluturus 39. D. de solut. l. cum filiusfam. 49. §. fin. de V. O.

l. si fideicommissum 50. de judic.

XVII.

Utrum in iudicio debeat fieri; an sufficiat extrajudicialis denunciatio, magna concertatione Dd. inter se dissident. Interpellatum nos utrocunque modo, in mora esse arbitramur.

d.l. mora D. de usur. l. si ex legati 23. de V.O.

XVIII.

Sicut nec illa satis exasciata quaestio est, unâne an pluribus sit opus denunciationibus? instantiam quidem; unius tamen interpellationis necessariam esse defendemus.

l. si fundum 114. D. de V.O. d.l. magnam 12. C. de contr. vel comm. stipul.

XIX.

Tacitè fieri interpellatio intelligitur, quando qui ex die quid debet, eo non solvit. Dies enim pro homine interpellat, seu, ut Imper. loquitur, debitor quæ promisit, ipse in memoria sua servare; nō ab aliis sibi manifestari, debet poscere.

l. si fundum 114. D. de V.O. d.l. magnam. 12.

XX.

Quod ipsum locum quoque habet in die à lege præfinito: veluti si ecclesiasticus emphyteuta intra biennium; civilis intra triennium canonem non solvit, sine ulla interpellatione in mora constituitur.

l. 2. C. de jure emphy. N. 7. c. 3. §. 2.

XXI.

De obligationibus faciendi anceps est quaestio, nunquid dies naturâ ita insit iis, ut si tempus, quo opus fieri potuit, transierit, sine interpellatione moram valeat concinnare? quod affirmamus.

l. si ita stipulatus 14. l. stipulationes 72. §. fin. D. de V.O.

XXII.

Quod diximus, diem pro homine interpellare, non obtinet, si vinum veniit certusque dies ad metiendum præstitutus est: Venditor enim vinum nequit effundere priusquam

quam testatò emtori denunciaret ut aut tollat illud aut sciat fore ut effundatur.

l. 1. §. licet. D. de peric. & commod. rei vend.

XXIII.

Quod verò quidam ad hanc regulam negant pertinere obligationem inter homines diversi fori cōtractam; id sine urgente ratione, certe sine lege nos facere putamus.

XXIV.

Illud certū est, quod dies potest, conditionem adjectam non posse ut & ipsa existens tacite interpellet: ne videlicet eodem tempore & obligatio & mora nascatur.

Argumento l. quod dicimus 105. D. de solut. l. promissor 21. §. 1. de constit. pecun.

XXV.

Hæc de mora ex persona: Sunt certi casus, quibus sine interpellatione & die, debitor ultro, ad quod obligatus est, offerre debet: quod nisi faciat, in re moram esse decerni solet.

l. sed etsi 23. §. 1. D. de usur. l. in minorum 3. C. in quibus causis in integr. rest. neces.

XXVI.

Nam minoribus quod ex quocunque bonæ fidei contractu vel ex causa legati seu fideicommissi debetur, si statim non solvatur, re ipsa ex solo tempore tardæ solutionis recepto jure mora fit.

d. l. 3. l. curabit §. C. de act. emt. l. cum vero 26. §. 1. D. de fideicom. libert.

XXVII.

Verum quia hoc auxilium lubricæ minorum ætati tributum est, perpetuo id non durabit; sed facti majores ad continuandā morā nova interpellatione opus habebunt.

l. Titia Sejo 87. §. 1. D. de leg. 2.

XXVIII.

Quod juris, cum plerunque minorum privilegiis utantur, nō immerito cum interpretibus ad ecclesiā, rempublicam

cam

cam & fiscū extēdimus, ut & his re ipsa mora fieri credatur.

l. respublica 4. C. quib. ex causis major. c. auditis. 3. ext. de in integ. rest.

l. cum quidam 17. §. fiscus. D. de usur.

X X I X.

Subventum quoq; est fideicommissis libertatibus ut in re mora facta eis esse videatur: Quæ libertates an ipso jure cōpetant, dubitatum memini. Affirmantibus adstipulamur.

l. cum vero 26. §. 1. D. de fideicom. l. 1. C. si mancip. libert. ita fuerit alien.

X X X.

Præterea à sacratissimo Justiniano sancitum est, si quis in dotem aliquid spopōderit vel promiserit: & ex tempore matrimonii biennium sit transactum, ut quæstum is ilico præstaret.

l. ult. §. fin. C. de jure dot.

X X X I.

De emtore expeditum jus est, post traditam rem, nisi pretium statim exolvat, in mora ipsum constitui. Nam, ut Ulpianus ait, cum re emtor fruatur, æquissimum est eum, usuras precii pendere.

l. Julianus 13. §. veniunt 20. D. de act. emt. Paul. lib. 2. sentent. c. 17.

X X X I I.

Dubitatur vero, nunquid hoc juris ad omnes contractus *δι πλέυρης* porrigendum sit, ut ex altera parte contractu impleto, re ipsa cessans in mora constituatur? quod paritas rationis videtur velle. X X X I I I.

Malæ fidei item possessor, fur, is qui vim adhibuit, & generaliter qui ex delicto rem debent, quia invito domino rem ab initio cōtractarunt, semper in restituenda ea, quam nec debuerunt auferre, moram facere videntur.

l. 8. §. 1. l. ult. D. de condict. furt. l. 1. §. rectissime. l. pen. de vi & vi armata.

X X X I V.

Aliquando etiam in re moram esse decerni solet, si forte non exstat qui conveniatur: quo casu creditor id ipsum, testatione complecti debet, ut pro petitione cedat.

l. sed etsi 23. §. aliquando. D. de usur. l. 2. de naut. foen.

Porro

XXXV.

Porro quod communis Dd. consensus habet, in remoram committi, quoties mediante juramento quid promissum sit, textu probari non posse, sed vanum religiosorum metum esse censemus.

c. brevi ext. de jurejur. argumento. l. non dubium 5. C. de legibus

XXXVI.

Sicut & illud absque ratione nobis affirmare videntur, qui promiserunt alterum defendere vel se facturos curaturos, sine interpellatione nos in mora constitui.

XXXVII.

Atque his quidem modis in mora quis constituitur: cujus jam contractæ primus ille effectus est, quod obligationem perpetuet efficiatq; ut res semper extare videatur.

l. si servum 91. §. sequitur. D. de V.O. l. nemo 82. §. 1. eod.

XXXVIII.

Unde si post moram res debita vel fiat deterior vel omnino pereat, utrumque hoc incommodum debitor præstare cogitur, pretium solvendo.

d. l. si ex legati causa 23. D. de V.O. d. l. 3. §. 1. commod. l. promissor 23. de constit. pecun.

XXXIX.

De casu fortuito anceps est quæstio, an debitor hunc teneatur præstare, si res eodem modo apud creditorem fuisset peritura? teneri, modo creditor distracturus eam fuisset, arbitramur.

l. si plures 14. §. 1. D. de pos. l. cum res 47. §. ult. de legat. 1.

XL.

Prædones tamen & fures nullo modo liberantur: ut nec ii qui genus vel quantitatem debent, nisi hæc ad certam speciem sit relata.

l. pen. D. de vi & vi arm. l. incendium 11. C. si cert. pet. l. ubi autem 75 §. 5. de V.O.

XLI.

Deinde, morâ in bonæ fidei judiciis commissâ usuræ

B de-

debentur: quibus etiam arbitrariæ & pro legatis ac fidei-
commissis competentes actiones, quantumvis cætera stri-
cti sint juris, accensentur.

d. l. mora. §. bona fidei. l. 3. D. de usur. §. præterea Instit. de action.

X L I I.

Secus ergo in stricti juris actionibus habet: quia enim
in his usuræ, nisi in stipulationem deductæ, non debentur;
atque iudex certæ formulæ est adstrictus, ne quidem post li-
tem contestatam venire eas censemus.

l. Titius 24. D. de præscript. verb. l. 3. C. de usur.

X L I I I.

Sed maxime illustris moræ effectus, fructuum & ejus
quod interest, præstatio habetur: de quo, ne quid desit huic
cognitioni, operæ pretium erit una videre.

l. videamus 38. §. 1. D. de usur.

X L I V.

Et fructus quidem quod attinet, cum malæ fidei posses-
sor semper sit in mora, omnes omnino, naturales & indu-
striales; perceptos & quos honestè percipere potuisset, una
cum re restituit, non attento titulum habuerit, nec ne.

*l. mala fide 3. C. de condict. sine causa. l. 4. §. 2. D. fin. reg. l. certum
est. 22. C. de R. V. l. fructus 33. D. eod.*

X L V.

Ubi in computatione eorum fructuum qui potuerunt
percipi, constat animadverti debere, non an malæ fidei pos-
sessor fruiturus sit; sed an petitor potuisset frui, si ei possi-
dere licuisset.

*l. si navis 62. §. fin. D. de R. V. l. cum servus 39. §. 1. de leg. 1. c. gra-
vis. 11. ext. de restitut. spoliat.*

X L V I.

Per litis quoq; contestationem mora fit omnesq; malæ
fidei possessores incipiunt esse, licet antea bona fide rem
possederint: ut jam quoad fructus, eodem jure censeantur.

l. 1. 2. & ult. C. de usur. & fructib. leg. l. 25. §. si ante. D. de petit. hered.

l. 2. C. de fructib. & lit. expens.

Quod

X L V V I.

Quod si lis semel perempta; post vero longo tempore revocata sit, possessor mala fide censebitur fructusque; tenebitur præstare ex die litis primò contestatæ; non verò revocatæ.

l. nemo. C. de acquir. poss. l. 1. C. de præscrip. long. tempor.

X L V I I I.

De eo dubitatur: si bonæ fidei possessor rem absque litis cōtestatione cognoverit alienam esse, an statim ex eo tempore fructus suos nō faciat, sed quoad hoc in mala fide constituitur? Pleno jure non facere suos putamus.

l. bonæ fidei 48. §. in contrarium. D. de acquirend. rer. domin.

l. qui bona fide 23. §. 1. eod.

X L I X.

Ante litis ergo contestationem bonæ fidei possessor tam naturales quàm industriales, quos percepit & consumsit, fructus suos pleno jure facit; nec distinguimus, petitionem hereditatis si excipias, locupletior sit factus nec ne.

l. in pecudum 28. l. qui scit 24. §. 1. D. de usur. l. antep. de R. V.

L.

Cum enim jure gentium & ita justissimâ causâ ipsius fiant: pugnet autem, Cicerone teste, recte accipere & invitum reddere; ne ullo modo cogatur fructus restituere, sequi necesse est. §. si quis à non domino *Instit. de rer. divis. Cic. in topic.*

L I.

Sed de consumtis hoc intelligendum: an vero separati quidem à solo; adhuc tamen extantes, re evicta sint restituendi, difficilis est quæstio? Affirmantibus nos accedimus.

l. certum 22. C. de R. V. l. 4. §. 2. D. fin. reg. l. 4. §. lana de usucap.

L I I.

Quoniam verò possessionum vitia à majoribus contracta perdurant, & successorem autoris sui culpa comitatur; heres, vel bona fide rem possidens, fructus omnes ob prædecessoris malam fidem restituet.

l. 2. C. de fructib. & lit. expens. l. vitia 11. C. de acquir. vel amitt. poss.

B 2

Sed

LIII.

Sed hæc in actionibus realibus ita observantur: In personalibus inter bonæ fidei & stricti juris judicia distinguemus ut in illis post moram fructus omnino præstandi sint.

l. videamus 38. l. mora 32. §. 2. D. de usur.

LIV.

Quibus & hic actiones pro legatis & fideicommissis competentes annumeramus: item arbitrarias, cum iudici in illis ex bono & æquo permittatur secundum cuiusque rei naturam æstimare, quemadmodum actori satisfieri oporteat.

l. 3. l. equis. D. de usur. l. 1. §. ex die. l. pen. de vi & vi arm. §. praterea instit. de act.

LV.

In strictis res perplexior est: quippe si quod meum fuit, peto, fructus mihi, etiã bona fide percepti restituendi sunt: cum nimirum sine causa ad possessorem pervenerint, nec quæquam conveniat cum alterius detrimento fieri locupletiorẽ.

d. l. videamus. §. 1. l. nam hoc 14. & seq. D. de condict. indeb.

l. 7. §. 1. de condict. caus. dat. causa non sec.

LVI.

Si vero actionem habeam ad id consequendum, quod meum non fuit, veluti ex stipulatu: fructus non consequar, etiam si mora facta sit: post acceptum tamen iudicium ex æquitate præstabuntur.

d. l. videamus. §. si actionem. l. 3. §. 1. D. de usur. l. si filiusfam. 78.

§. 1. de V. O.

LVII.

Non abs re autem hoc loco velut excessus hic subjungitur: post litis contestationem, malæ fidei possessorem, quocumque rem modo desierit possidere, usque ad rei iudicandæ vel executionis faciendæ tempus fructus præstare.

l. Julianus 17. §. 1. l. qui restituere 68. D. de R. V. l. fructus 33. eod.

LIX.

Bonæ fidei autem possessorem, si res ante sententiam perierit, ulterius fructus non præstare quam per rerum naturam possunt: Si non perierit, usque ad sententiam. Nam post
illam

illam tempus à fructibus dependendis immune esse cōstat.

l. penult. D. de R. V. l. 3. §. 1. de usur.

L I X.

Et hæc de fructibus: Id quod interest eleganter definit Paulus, quod mihi abest, quodque lucrari potui.

l. si commissa 13. D. rem rat. haberi. l. si servum 33. ad leg. aquil.

L X.

Non minus enim quàm damni; etiam lucri post moram ratio habetur: modo revera interceptum id nobis sit, neque à re ipsa nimis remotum vel juri contrarium inveniatur.

l. un. C. de sentent. qua pro eo quod interest. l. quicquid. C. arbitr. tut.

l. si sterilis 21. §. cum per venditorem de act. emt.

L X I.

Hinc vani timoris nulla fit æstimatio, uti nec lucri quod in casu situm est vel aliunde, quam ex re petita, facile potest haberi: nisi vel expresse vel tacite ejus ratio à contrahentibus fuerit habita.

l. si quis ab alio 13. D. de re jud. l. quemadmodum 29. §. 3 ad leg. aquil.

d. l. si sterilis 21. §. cum per venditorem. l. 2 §. fin. de eo quod cert. loc.

L X I I.

Id ergo quod verè interest, secundum imperatoris nostri moderamen æstimat judex: in casibus quidem certis, ne duplum excedat: in incertis, quod revera inducitur damnum ut hoc præstetur.

d. l. un. C. de sentent. qua pro eo quod inter. fer.

L X I I I.

Atque hæc de quatuor moræ effectibus: cum vero nõ omne, quod differendi causa, optima ratione nec simulato animo fiat, moræ adnumerandum sit; si debitori justa debitum recusandi causa est, hosce effectus cessare æquum est.

d. l. sciendum 21. & l. seq. D. de usur. l. si quis solutionis 24. eod.

L X I V.

Veluti si heres de debito defuncti conveniatur, nec quicquam proferatur unde intelligat defunctum debuisse:

si cum petitur, rem in potestate non habeat debitor, ut eam creditori possit expedire.

l. qui in alterius D. de R. I. l. illud 40. de petit. hered. l. 23. de usur.

L X V.

Si antequam solvat, caveri sibi velit ut res in tuto collocetur, néve iterum sit solvendum: His, inquam, & similibus casibus prædurū esset, debitorē moræ incommodū subire.

d. l. sciendum 21. l. cum quidam 17. §. si pupillo. D. de usur.

L X V I.

Simili modo præstationis impossibilitas debitorem à mora excusat: cui ut sæpe; ita & hic difficultatem æquipollere, ex Pomponio discimus.

l. impossibilem 185. D. de R. I. l. cum impossibile de his qui effud.

l. ratio 3. §. si per venditorem de act. emt.

L X V I I.

Denique mora contracta certis quoq; modis purgatur: cum enim ex bono & æquo hæc quæstio sit, qui moram fecit in solvendo, postea præstando vel commode & serio offerendo omne eum periculum declinare placuit.

l. si servum 91. §. sequitur. D. de V. O. l. qui decem 72. §. 1. de solut.

L X I I X.

Quod tamē re adhuc integra procedit: postea non aliter mora emēdatur, nisi quod abest creditori, simul offeratur: pœnitentia enim sua nocens esse nemo desinit, nec in præteritum quis sibi diligentia sua potest prospicere.

l. quid tamen. 21. §. fin. & l. seq. ff. de recept. arb. l. qui ea 65. de furt.

L X I X.

Sed nec in infinitum mora potest purgari: ante litem contestatam potest; post eam, cum debitor frustrator nimium sit pertinax, non potest: nec distinguimus inter dandi & faciendi obligationes.

l. si insulam 84. D. de V. O. argumento l. illud 32. ad l. aquil.

L X X.

Ardua est quæstio: purgata mora & re postea peremta,
ipsonē

ipſone jure debitor liberetur; an vero exceptionis ope? In qua inter bonæ fidei & ſtricti juris judicia diſtinguemus.

l. qui decem 72. D. de ſolut. l. interdum. § ſin. de V. O.

L X X I.

Quod ſi debitor pacto ſuo noluit moram poſſe emendari, licentiam procul dubio habebit his, quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare neq; oblatione moram emendabit.

l. pacta 12. l. pen. C. de pact. l. Sancimus. § ſin autem. C. de fidejuſſ.

L X X I I.

Sicuti nec in obligationibus, quæ diem cum pœna habent, purgatio admittitur, cum pœna ex conventionem jam debita creditori nequeat auferri: Secus eſt in obligationibus quæ pœnam ſine die habent.

d. l. quid tamen 21. § ſin. D. de recept. arb. l. celsus 23. eodem.

l. trajectitia 23. D. de O. & A.

L X X I I I.

Quod autem nonnulli interpretes moram dicunt inemendabilem fieri, ſi geminata interpellatio præceſſerit, id ſuâ ipſorum reſutant doctrinâ quâ (falſo tamen) non niſi iteratâ interpellatione moram docent contrahi.

L X X I V.

Præterea inſignis moræ purgandæ modus eſt novatio: per quam licet prior obligatio, antequam conditio exiſtat, non tollatur; mora tamen purgatur, nec in obligationem ſequentem deducitur.

l. parvi 17. D. de condiçt. furt. l. quotiens 14. l. novatione 18. de novat.

L X X V.

Dèniq; obſervandum; ſi mora, quibus dixi modis contracta, nec ruruſus emendata ſit; cum rem afficiat in eaquæ perſeueret, regulariter ad heredes transmittitur, ut nova interpellatione opus omnino non ſit.

l. cum patrifam. 27. D. de uſur. l. Titia 87. § 1. de legat. 2. l. vitia C. de acquir. poſſeſſ.

Ad

Ad ornatis. & doctis.

D. HENRICVM DVDERSTADIVM,
amicum dilectis. de MORA disputantem,

CUNRADI RITTERSHUSII J. U. D.

Hendecasyllabi.



ELLAEVS juvenis, cui orbis unus
Victori haud fuerat satis petaci,
Quid caussa esse decet putare, terra
Quod tam orbem citò subjugavit omnem?
Victricique manu perambulavit?
Annon, quòd remoram amputavit omnem,
Atque ab se voluit procul remotam,
Castigans sociis eandem in ipsis?
Hoc ipsum dominum orbis universi
Ævi reddidit in virente flore.
Ergo quid tibi cum MORA est negotii,
HENRICE, ò Juvenum optime, atque amice,
Quem cera mihi principe annotavi,
Quidnam inquam tibi cum MORA rei est? quid
Tàm longum juvat immorari eidem,
Quidve incumbere pertinace curâ?
Quin tollis potius moras nocivas?
An semper mora non nociva quævis?
Est & cum pretium mora paratum est:
Quod te grande manet, parante Diva
Cui justum Themidi indidère nomen.

Μηδεν ἀναβαλλόμεν.

Altorfii xviii. Februarii, cui in
fastis Concordiæ nomen est
adscriptum, Anno MDCII.

F I N I S.

Altdorf, Diss., 1599-1633

ULB Halle

3


005 607 582



TA → OL

WMA







B.I.G.

Farbkarte #13

³DISPUTATIO

22

D E

1602 1

MOR A.

Q V A M

D. A. Q. D.

P R A E S I D E

CIPIONE GENTILI

JURISCONSULTO,

INCLVTA NORICORVM ACADE-

mia publicè defendere conabor

ENRICVS DVDERSTA-

DIVS ALSLEB. SAXO,

Mense Martio,

A N N I

—
c l o l o c i i l .



N O R I M B E R G A ,

TYPIS PAVLI KAVFMANNI.

